

das, de Probationibus, concl. 424, numer. 4; Layman, cit. numer. 7, cum aliis. Siquidem consuetudo immemorialis habet majorem vim, et auctoritatem, quam alia consuetudines; ut patet ex I. Hoc jure, § Ductus aquae, ff. de Aqua quotidian.; ergo necesse est, ut ei specialiter ac expresse derogetur, alioquin valeret. Exemplum hujus extat in c. Si Episcopus, de Pœnit. et remiss., in 6, ubi dicitur nulla posse consuetudine induci, quod aliquis præter sui superioris licentiam possit sibi eligere confessarium; et tamen ante concilium Tridentinum simplices presbyteri sibi invicem confitebantur, suffragante videlicet ipsius consuetudine immemoriali; quam postmodum expresse revocavit concilium Trident., sess. 23, cap. xv, de Reformat. Barbosa, loc. cit., num. 5.

50. Contraria quorundam doctorum sententia quoad priorem partem refertur. — Quinimo non pauci doctores, ut Navarrus, t. I. Comment. de Spoliis clericorum. § 14, n. 8; Suarez, lib. VII, de Legib., cap. ix, n. 21; Azorius, part. I, lib. V, cap. xvii, quæst. 10, volunt; quod si lex simpliciter prohibeat introduci consuetudinem, non vero eam damnet ut irrationabilem; adhuc contra eam tempore ordinario præscribi possit. Quia, inquit Navarrus, loc. cit., licet ex tali prohibitione pateat contrarium aliqua ratione magis placere legislatori; nihilominus, dum consuetudo illa nec directe, nec indirecte contraria existit legi naturali, aut divinæ; hoc ipso veluti rationabilis tempore ordinario præscribi atque induci poterit. Verum istud Navarri fundamentum jam supra n. 32, rejectum fuit.

51. Clausula prohibitoria inducendæ consuetudinis nequit referrî ad solos indices. — Quod si forsitan non nemo dicat ejusmodi clausulam prohibitoriam solummodo ad judices referrî, prohibendô videlicet ipsis, ne patiantur consuetudinem aliquam adversus legem induci. Contra est, tum quia hoc est generale omnibus legibus: nam parum est jura condere, nisi sit, qui eadem teneatur; c. Ubi periculum, § Prætera, de Elect., in 6; tum quia clausula simpliciter prohibitoria consuetudinis inducendæ, vi verborum aliud importat, eo quod prohibeatur ipsa consuetudo secundum se, neque dubium sit, quin legislator eam simpliciter prohibere possit: atqui a propria verborum significatione non est recedendum abque gravi causa, ut dictum tit. De Constitutionibus, § 16, n. 389, 390, et seqq.

52. Alia quorundam distinctio non improbabilis circa hoc. — Alia ratione incedit Pirhing, li. t. n. 40, post Molinam, tract. II, just. et jur. disp. 77, n. 4; et alios, dicendô, quod ad inducendum via præscriptionis consuetudinem contra talem legem, sine titulo requiratur tempus immemoriale, ut dictum: tamen cum titulo saltem colorato, et præsumpto, sufficiat tempus quadraginta annorum. arg. cap. 1, de Præscript., in 6, ubi sic expresse statutum habetur de præscriptione, quando jus commune, vel præsumptio est contra præscribentem. Et hæc sententia non est improbabilis: licet enim ad consuetudinem non necessario requiratur titulus, ut dictum n. 25, negari tamen non potest, quin fortior sit consuetudo, quæ potest alligare titulum, quam quæ talem non habet; cum hoc ipsum expresse cautum habeatur de præscriptione, cit. cap. 1, eod. in 6.

53. Lex derogatoria consuetudinis sub clausula, Nulla obstante consuetudine, tollit consuetudines præsentis, non futuras. — Resp. III. Quando lex derogatoria consuetudinis utitur hæc clausula, « Consuetudine contraria quolibet non obstante, » et nihil aliud exprimit, videtur tantum tollere consuetudines tempore conditæ legis existentis, non item se extendere ad futuras; idèoque nihil obstat, adversus talem legem induci consuetudinem de novo. Ita Glossa in Clem. Statutum, § Consuetudine, de Elect. Suarez, lib. VII, de Legib., cap. vii; Layman, cit. n. 7; Azorius, ubi supra, quæst. 10; Engel, li. t. n. 23, alligans magis communem doctorum Jason I. De quibus, n. 55, ff. de Legib. citans insuper Bartolum, Baldum, Angelum, et alios; quamvis non desint oppositum tenentes, ut Barbosa, clausul. 87, n. 13; Sanchez, lib. VII, de Matrim. disp. 4, n. 13; Castro Palao, t. I, tract. III, disp. 3, punct. 4, § 2, num. 8; citans alios. Ratio conclusionis est: quia verba illa, « Nulla obstante consuetudine, » commode possunt intelligi de ea, quæ extat tempore conditæ legis; ergo de hac dumtaxat debent intelligi: tum quia correctoria juris, veluti odiosa, non sunt extendenda; tum quia si legislator voluisset comprehendere consuetudinem etiam futuram; potuisset expressisse. Accedit, quod verba talis legis habeant dumtaxat vim juris scripti: atqui huic per novam contrariam consuetudinem potest imposterum derogari, nisi aliud exprimat, ergo et illi.

54. Solvitur objectio. — Dices: Lex ex sua natura trahitur ad casus futuros, cap. ult. de

Constitut. et l. Leges C. de Legib. ergo hoc ipsum oportet dicere de lege habente insertam clausulam illam, « Nulla obstante consuetudine. » Accedit c. Ad nostram, 3, h. t. ubi patet ejusmodi clausulam extendi etiam ad consuetudinem futuram. Resp. hoc totum procedere pro tempore illo, quo nova consuetudo necdum legitime fuit præscripta: alioquin autem sicuti quævis alia lex per contrariam consuetudinem, legitimo tempore continuatam, denuo abrogatur; ita etiam erit dicendum de lege, clausulam illam insertam habente, nisi aliud in eadem expressum habeatur. Ad c. Ad nostram, 3, h. t. dicitur ibi sermonem esse de consuetudine irrationabili, ut liquet ex textu: unde non mirum, quod in illo casu clausula memorata extendatur etiam ad consuetudinem futuram.

55. Quid dicendum de consuetudine immemoriali? Remissive. — Cæterum qualis consuetudo per dictam clausulam, « Nulla obstante consuetudine, » revocetur, et an etiam immemorialis, dicetur inferius, n. 184 et 185, et seqq. Sufficit impræsentiarum annotasse, quod dicta clausula generaliter loquens, ad consuetudinem imposterum inducendam, non extendatur, neque hanc veluti irrationabilem, damnare vincatur; nisi aliud quid addatur, aut hoc ipsum aliunde appareat.

## § III.

## DE NONNULLIS CONSUETUDINIBUS IRRATIONABILIBUS, A JURE REPROBATIS.

56. Consuetudo per quam rumpitur nervus disciplinae ecclesiasticae non valet. — Quæritur I. Utrum valeat consuetudo, per quam rumpitur nervus disciplinae ecclesiasticae? Resp. negative, estque communis doctorum. Patet hoc ex c. Cum inter, 5, h. t. ibi: « Nos igitur cognito, quod ex tali consuetudine (non servandi interdictum generale) si qua foret, dirumperetur nervus ecclesiasticae disciplinae, ipsam duximus irritandam. » Ubi Glossa finalis sic concludit: « Et sic patet, quod ubicumque fit aliquid contra ecclesiasticam disciplinam, sive nervum Ecclesiae, non habet locum præscriptio. »

57. Disciplina ecclesiastica, quæ? Cur appellatur nervus. — Porro per disciplinam ecclesiasticam intelligitur observantia honorum morum, atque ordinis ecclesiasticae hierarchiæ; qualis procul dubio dirumpitur atque

violatur, per consuetudinem non servandi interdictum generale; ac proinde hæc, veluti irrationabilis, et corruptela potius quam vera consuetudo, meritissime reprobat. Additur autem, « Nervus ecclesiasticae disciplinae: » quia per hanc fideles conservantur in suo officio, atque ab excessibus seu peccatis retrahuntur, sicuti nervis membra corporis humani continentur, ut officia sua rite præstare valeant. Suarez, lib. VII, de Legib., cap. vi, num. 8. Vel potestas sanctæ Romanæ Ecclesiæ dicitur nervosa ex eo, quia non tam facile dimittitur, cam Absit., dist. 50. Aut quia non frangitur, ex causa concedendæ dispensationem, licet in cortice vulneretur; ut loquitur Archidiaconus in c. Fraternalitatis, dist. 34, num. 2, et Fagnanus in c. Cum venerabilis, num. 4, h. t.

58. Irritandum quandoque dicitur id, quod ipso jure est irritum. — Quod si objicias contra conclusionem. In cit. cap. Cum inter, h. t. non dicitur memoratam ibi consuetudinem esse irritam, sed irritandam; ergo hæc antecedenter valebat. Resp. neg. consequenti. Siquidem non est infrequens in jure, ut id, quod irritum est, dicatur irritandum, id est irritum et inane declarandum. Sic quippe in simili habetur c. Cum dilectus, 8, h. t. « Electionem (de qua est sermo, fueratque a suspensionis celebrata) justitia cassavimus exigente; » id est, cassam nuntiavimus, ut explicat ibidem Glossa communiter recepta, vers. Cassavimus. Sic etiam Glossa fin. c. Pervenit, 2, de Jurejurand. explicat verbum illud, « quem absolvimus; » et probat id esse intelligendum, « de facto ad cautelam: » vel exponendum, « absolvimus, id est, absolutum esse ostendimus. » Concordant dicta superius, tit. de Constitutionibus, § XI, num. 252.

59. Consuetudo, per quam impeditur correctio morum, non valet. — Quæritur II. Quid dicendum de valore consuetudinis, per quam impeditur correctio morum? Resp. Consuetudo illa non valet, quæ morum reformationem, et correctionem impedit. Ita communis; et clare habetur in c. Irrefragabil. 13, de Offic. Ordinar. ibi: « Ut autem correctionis, et reformationis officium (prelati ecclesiarum) libere valeant exercere, decernimus, ut executionem ipsorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire. » Concordat. c. Cum ex officio, 16, de Præscript. ibi: « Quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi, » etc.

Accedit ratio clara, quia talis consuetudo foret bonis moribus adversa, et fomentum dissolutionum, sicque irrationabilis, ac dicenda potius corruptela, quam consuetudo.

60. *Contra correctionem morum, ac obedientiam, non potest praescribi extinctive, bene tamen translative.* — Circa hoc tamen nota cum Barbosa, part. III, *de Offic. et potest. episcop.*, allegat. 129, n. 9, et aliis, quod quidem obedientia, atque visitatio, et consequenter morum correctio, *extinctive* praescribi non possit, ita scilicet, ut nulli competat visitatio morumque correctio, et nulli debeatur obedientia: ne videlicet dentur acephali, sicut locustae, unde oriretur repugnantia, confusio, et inordinatio, quae foret summe nociva bono communi. Adhuc tamen praescribi valet obedientia *translative*: nempe ut jus visitandi, et pravos mores corrigendi, transferatur ab uno in alium; et alteri, quam episcopo, v. g. competat visitatio, ac debeatur obedientia, ut puta, proprio abbati, vel summo Pontifici. Et hoc satis indicatur in cit. cap. *Cum ex officii. de Praescript.* mox subjungente: « Et si alius contra eum praescribere posset utrumque; » prout amplius in tit. *de Praescriptione*, dici solet.

61. *Consuetudo adversus libertatem, et immunitatem ecclesiasticam, non valet.* — Quaeritur III. Utrum valeat consuetudo adversus libertatem, et immunitatem ecclesiasticam? Resp. Non valere; adeo quidem, ut consuetudo etiam immemorialis, si sola sit, et nullo privilegio, aut fama privilegii summi Pontificis adjuvetur, non possit immunitati ecclesiasticae quidquam derogare. Ita Glossa cap. ult. vers. *Rationabilis*, et ibi Abbas, num. 3, h. t.; Baldus in c. *Cum terra.*, num. 2, *de Elect.* Suarez, lib. IV *Defension. fidei cathol.* cap. xxxiv; Layman, lib. IV. tract. IX, cap. x, num. 1; Alex. Sperellus, decis. 37. *Fori ecclesiast.* n. 41, et 42, allegans Rotam decis. 10, *de Consuetud. in antiq. et in Oscens. Canoniciatus*, 1 decemb. 1596, coram Penna, Barbosa in collectan. ad c. *Ecclesia sanctae Mariae*. n. 18, et seqq. *de Constitut.* et alii communiter, demptis Covarruvia, *Pract. quaest.* cap. xxxi, num. 5 et Julio Claro lib. V. *Practicae criminalis.* fin. quaest. 36, n. 3, qui tenent, quod, quamvis immunitas ecclesiastica universim tolli non possit per consuetudinem, possit tamen tolli ex parte, et quoad certas causas.

62. *Idque probatur tum ex jure canonico.* — Ratio hujus communis conclusionis est; quia

consuetudo adversus libertatem, seu immunitatem ecclesiasticam militans passim in utroque jure reprobatur, et veluti irrationabilis, ac Divinitati contumeliosa damnatur. Et quidem loquendo imprimis de jure canonico, istud pluribus in locis expresse reprobatur talem consuetudinem; ut in cap. I, et c. *Cum inter*. 5, h. t. et amplius in c. *Ad nostram* 3, eod. ubi etiam hujusmodi consuetudo vocatur *minus rationabilis*; ac generaliter subditur, quod « consuetudo, quae canonicis obviat institutis (qualis est praesens) nullius debeat esse momenti. » Accedit c. *Cum terra*, 14, *de Elect.* ibi: « Quia igitur hoc redundat in gravamen, et perniciem ecclesiasticae libertatis, praescriptam consuetudinis pravitatem sancimus penitus abolendam. » Item c. *Clerici* 8; *de Judiciis*, et c. *Noverit*, 49, *de Sent. excomm.* in quo postremo loco etiam excommunicantur, « qui de caetero servari fecerint statuta edita, et consuetudines introductas contra Ecclesiae libertatem. » Idem habetur ex bulla Urbani VIII, quae incipit: *Romanus pontifex*, 1644, die 5 junii edita (et refertur, tom. IV *Bullarum Romanarum*, constit. 159, dicti pontific.). Item ex bulla *Caena Domini*, quae quotannis publicatur, et reprobatur generaliter omnia immunitati et libertati ecclesiasticae praedjudicialia: ut proinde ob expressam contradictionem principis, seu Papae, actumque contrarium ipsius toties renovatum, nunquam intervenire possit legalis ejusdem consensus, ac tempus ad praescribendam rite talem consuetudinem de jure requisitum.

63. *Tum ex jure civili.* — Loquendo etiam de jure civili, istud quascumque consuetudines contra libertatem, seu immunitatem ecclesiasticam, pariter, et expresse reprobatur, ac ipso jure nullas esse decernit, in Auth. *Cassa. C. de Sacrosanct. Eccles.* illis verbis: « Cassa et irrita esse denuntiari per totam Italiam praecipit omnia statuta, et consuetudines contra libertatem Ecclesiae, ejusque personas inductas adversus canonicas, et imperiales sanctiones, et ea de capitularibus penitus aboleri mandat nova constitutio: et de caetero similia attentata ipso jure nulla esse decernit. » Et ne forsitan, pro sola Italia istud statutum fuisse dici posset, protinus subditur: « Sed si per annum hujus novellae constitutionis aliqui inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum imperium impune ab omnibus occupentur. » Haec ibi. Similiter in Auth. *Causae quae, C. de Episcop.*

*et cleric.* Judex monachum ad iudicium saeculare trahens puniri jubetur: « tanquam Divinitati contumeliam faciens. »

64. *Potest Papa ex parte derogare immunitati ecclesiasticae.* — Dicitur notanter in conclusione, « Si consuetudo sola sit, et nullo privilegio, » etc. Siquidem certum est, atque indubitatum, quod summus Pontifex per speciale privilegium, ob justam causam datum alicui principi, vel magistratui saeculari, ex parte aliqua derogare possit libertati, seu immunitati ecclesiasticae. Sic enim in concilio Lugdunensi, relato in c. *Generali* 13, *de Election.* in 6. Gregorius X regibus stabilivit jus regalium, vi cujus vel titulo fundationis, vel ex antiqua consuetudine, vendicarent sibi jus usurpandi bona, seu redditus ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum, tempore vacationis horum provenientia: statuta simul poena excommunicationis latae sententiae in eos, qui tale jus regalium hactenus non obtentum, de novo invadunt, extendunt, seu usurpant. Deinde, quod Papa causam aliquam ecclesiasticam, vel criminalem clericorum, possit committere laico, puta principi saeculari, tenet Glossa in c. *Bene quidem.* vers. *Præter*, dist. 96. Abbas in c. *Ecclesia sanctae Mariae*, num. 6. et ibi Felinus num. 6, *de Constitut.* Julius Clarus cit. lib. V, quaest. 41, n. 8, dicens post Beroum, quaest. 7, num. 1, quod praerallegatam Glossam sequitur totus mundus. Atque istud rejiciendum est in supremam Pontificis potestatem, juxta quam de rebus ecclesiarum, ipsisque personis ecclesiasticis, veluti dispensator fidelis, ac prudens, sicut pro majori Ecclesiae universalis utilitate expedire judicaverit, disponere valet. c. *Proposuit. de Concess. Praebend.* et c. *Licet ecclesiarum de praebend.*, in 6. Accedit, quod in posteriori casu laicus exequeretur causam ecclesiasticam sibi commissam, non auctoritate sua ordinaria (hujus enim est incapax) sed nomine, atque auctoritate summi Pontificis, sibi hac in parte commissa, prout innuit Glossa, loc. cit.

65. *Acquisibilia privilegio, sunt acquisibilia consuetudine, vel praescriptione, quomodo intelligendum?* — Neque hinc inferre licet. Juxta illud vulgatum, « Acquisibilia privilegio, sunt acquisibilia consuetudine, » vel praescriptione, ut docet Barbosa, axiomat. 56, n. 7, citans alios; ergo, si per privilegium papale possunt saeculares principes aliquid acquirere contra immunitatem ecclesiasticam,

idem etiam poterit acquiri consuetudine. Resp. enim cum Fagnano, in c. *Cum contingat*. n. 8, et seqq. *de Foro compet.* et aliis dictum illud non procedere universaliter, ut patet ex eo: quia ex concessione, seu privilegio Papae potest laicus, puta, princeps saecularis, cognoscere causas criminales clericorum, arg. cap. II, *de Judiciis*, juncta Glossa, ibid. vers. *Non praesumant*: non tamen potest laicus hanc cognitionem acquirere, sibi que vindicare ex ulla consuetudine, vel praescriptione, c. *Clerici* 8, *de Foro compet.* Similiter ex privilegio pontificio potest obtineri immunitas ab obligatione servandi interdictum, c. *Alma mater. de Sentent. excomm.*, in 6, non item ex consuetudine. c. *Cum inter*, 5, h. t. Tacentur plura similia. Igitur dictum illud est limitandum, ac primo intelligendum, dummodo adsit capacitas in exercente, vel possidente; alioquin multa competere possunt ex privilegio apostolico, quae tamen non possunt acquiri ex consuetudine, vel praescriptione: haec enim sine possessione, adeoque sine capacitate in possidente, non procedit, juxta reg. 2, juris in 6. Laici autem non possunt spiritualia possidere, c. *Causam*, 7, *de Praescript.* Deinde dictum illud est intelligendum, nisi consuetudo sit a jure reprobata: quia tunc non habet vim privilegii, etiamsi foret immemorialis, ut cap. I, h. t. in 6, ac notat Glossa in Clem. 1, vers. *Quancumque de Foro compet.*; Abbas c. *Cum ex officii*. n. 4, *de Praescript.*; Fagnanus, loc. cit. n. 11, citans alios. In proposito autem talis consuetudo est reprobata a jure, ut dictum in probatione conclusionis. Unde negatur consequentia.

66. *An saltem consuetudo immemorialis, conjuncta cum fama privilegii apostolici, valeat contra immunitatem ecclesiasticam?* — Additur quoque in data numer. 61 conclusione: « Aut fama privilegii. » Siquidem consuetudo immemorialis conjuncta cum fama privilegii, quantum est de jure communi, sufficit ad derogandum ex parte immunitati ecclesiasticae; non obstante, quod consuetudo sola ad hoc non sufficiat. Felinus c. *Cum contingat*, num. 4, *de Foro compet.* post Joan. Andream in c. *Cum Apostolica. De his, quae fiunt a prelat.* approbatum per omnes, ibid. Et ratio est, quia tunc tale privilegium, cujus laicus est capax, ex lapsu temporis immemorialis videtur probatum, sicque non tam ex consuetudine, quam ex titulo privilegii olim concessi, id habetur. Quem in

finem Layman, lib. IV, tract. IX, cap. x, numer. 2, ait tametsi contingat, titulum privilegii, vel concessionis modo exhiberi non posse, si tamen constans semper fama et traditio fuerit de accepto privilegio, tunc tandem præscriptioni locus erit per tempus immemorabile. Intellige hoc, quantum ad titulum emanati privilegii apostolici, seu ut præsumatur, illud aliquando fuisse concessum, et usui initium dedisse: nam loquendo de ipsa libertate ecclesiastica, contra eam nulla prorsus præscriptio locum habet.

67. *An saltem consuetudo immemorialis, coniecta cum fama privilegii apostolici, valeat contra immunitatem ecclesiasticam?* — Notanter tamen rursus additum fuit, « quantum est de Jure communi, sufficit, » etc. Nam, ut inquit Fagnanus, loc. cit. n. 11, hodie servanda est constitutio Urbani VIII, qui in cit. 159, constitutione, *Romanus Pontifex*. § 3, et 15, revocavit « quascumque concessionem, atque consuetudines etiam longissimas, et immemorabiles, etiam cum asserta fama privilegii apostolici, » quæ militarunt contra immunitatem ecclesiasticam, et ecclesiis, ac personis ecclesiasticis, earumque bonis sunt præjudiciales. Concordat bulla *Cœnæ Domini*, juxta dicta num. 62.

68. *Consuetudo habendi in eadem ecclesia duas dignitates, personatus, vel officia perpetua una cum canonicatu, absque dispensatione Papæ, non valet.* — Quæritur IV. Utrum valeat consuetudo, vi cuius quis in eadem ecclesia habeat duas dignitates, personatus, vel officia una cum canonicatu, absque dispensatione Papæ? Resp. I. Consuetudo ejusmodi neutiquam valet. Ita communis. Siquidem consuetudo, licet immemorialis, aut etiam juramento firmata sit, quod canonici in ecclesia sua, una cum præbenda canonicali, simul « duos personatus, aut duas dignitates, vel præposituras, vel administrationes, aut duo officia (intellige perpetua) aut eorum alterum cum reliquo, possint licite absque dispensatione Sedis apostolicæ obtinere, » corruptela reputatur, et auctoritate apostolica reprobatur; prout habet textus clarus in cap. I, h. t. in 6. Cujus ratio ibi redditur: quia talis consuetudo « sacris est inimica canonibus, et de ambitionis radice processit. » Adde, quod unum officium vix digne valeat aliquis adimplere, prout ibidem argumentatur Pontifex. Accedunt plura, eaque gravissima inconveniëntia, quæ ex pluralitate beneficiorum simul retentorum consurgere noscuntur, atque ad

longum referuntur in Extravag. *Execrabilis de Præbend. et dignitat. inter communes.*

69. *Bene tamende habendo uno eorum præter canonicatum.* — Resp. II. His tamen non obstantibus valida est ecclesiæ alicujus consuetudo, vel statutum, sicuti et episcopi dispensatio, quod quis in eadem ecclesia, una cum canonicali præbenda, simul obineat dignitatem, personatum, aut officium perpetuum, v. g. quod idem sit et præpositus et canonicus. Ita Glossa in cit. cap. I, §. *Nisi unicum*, h. t. in 6. Layman, ibid. n. 6, post Ant. de Butrio, ibid. n. 4, et Francum. num. 7. Pirling h. t. n. 79, et alii. Idque desumitur per sensum contrarium ex citato textu: nam, quia ibi solum prohibetur, ne quis cum præbenda canonicali, simul obtineat duas dignitates, etc. absque dispensatione papali; ergo sine tali dispensatione papali, potest quis simul cum præbenda unam aliam dignitatem habere; idque vel vi consuetudinis, aut statuti, vel ex dispensatione episcopi. Concordat e. *Eam te. 7, de Rescriptis*, ubi legitur, quod idem « erat archidiaconus, et canonicus ejusdem ecclesiæ. »

70. *Papæ, cur in priori casu possit dispensare? Ubi solvitur notabilis objectio circa hoc.* — Dices. Si irrationabile, Ecclesiæ damnosum, et sacris canonibus est inimicum quod canonicus in eadem ecclesia simul duas dignitates obineat; ergo ne quidem per dispensationem Sedis apostolicæ id fieri poterit, cujus tamen contrarium habetur in cit. textu. Ad hoc commune argumentum (quod urget in pluribus aliis similibus casibus) Resp. neg. consequenter. Quia, cum hujusmodi dispensationes non nisi justis, et gravibus de causis, per Papam concedi consueverint: simulque is « secundum plenitudinem potestatis de jure possit supra jus dispensare, » ut legitur in e. *Proposuit. de Concess. præbend.* jam cohonestatur, et compensatur damnum illud quod ex alia consideratione posset inferri bono communi, vel Ecclesiæ. Adde cum Layman, loc. cit. n. 4, licet statutum, aut introducta consuetudo, ut tale quid ordinari fiat, aut fieri valeat, non possit non esse ecclesiis, et saluti animarum perniciose, sicque merito reprobetur tanquam corruptela: secus tamen esse de dispensatione summi Pontificis, utpote solum concessa pro una vel altera vice, ubi ipsa ob speciales circumstantias cohonestari, et utilis esse poterit. Verum de pluralitate, et incompatibilitate beneficiorum plura suo loco.

71. *Consuetudo ansam peccandi, vel bona sua dissipandi præbens, non valet.* — Quæritur V. Quid dicendum de consuetudine, ansam peccandi, aut bona sua dissipandi præbente? Resp. Generaliter loquendo non valet consuetudo, per quam homines inducuntur ad peccandum, vel bona sua dissipanda. Ita communis; et habetur expressum c. *Ex parte*, 18, h. t. quod passim sic summatur, et in quo tales consuetudines recte vocantur *abusivæ*. Et istud merito Barbosa, in *Collectaneis*, ad cit. c. *Ex parte*, n. 2, cum aliis extendit ad ejusmodi consuetudinem, etiamsi sit immemorialis: sicut a pari non valet statutum, neque lex, quæ delinquendi occasionem præbet, can. *Erit autem lex*, dist. 4. Abbas in cit. c. *Ex parte*, n. 3, h. t.; Menochius, de *Præsumptionib.* lib. V, præf. 49, n. 25, et alii. Accedit ratio, quia tales leges, seu consuetudines, per quas homines inducuntur ad peccatum, hoc ipso contrariantur bonis moribus; suntque perniciosæ tum saluti animarum, tum communi bono reipublicæ, quæ virtutibus stabilitur, vitiis autem perturbatur, et enervatur.

72. *Referuntur tales pravæ consuetudines.* — Tales consuetudines ansam delinquendi præbentes referuntur duæ, in cit. c. *Ex parte*, h. t. Prima est, consuetudo illa alicubi viciens, quod si maritus, sive vitio prodigalitatibus, sive injuria, aut quocumque alio casu dissipasset, vel si amisisset bona sua, posset alienare bona uxoris suæ pro libitu. Hæc enim consuetudo manifeste inducebat viros ad negligentius agendum, et prodigaliter vivendum, sicque ad bona sua dissipanda, sub spe, quod possent deinde pro libitu alienare bona uxoris suæ: quæ proinde veluti abusiva, et irrationabilis, jure merito reprobat.

73. *Referuntur tales pravæ consuetudines.* — Alterum exemplum refertur ibidem de consuetudine illa prava, quod licet uxor alicujus, fide conjugali violata, commiserit adulterium, ipsa nihilominus medietatem omnium bonorum, quæ fuerit vir adeptus, exigere, et apprehendere valeat. Hæc quippe consuetudo mulieres reddebat prouiores ad peccandum, sive committendum adulterium; dum non solum non perdebant dotem suam (prout in pœnam adulterii perdere debebant, c. *Plerumque, de Donationib. inter virum et uxor.*, et l. *Si dotem, C. de Jure dot.*, et l. *Libertatem, C. ad Leg. Jul. de adult.*) sed insuper dimidiam partem bonorum a marito acquisite exigere poterant.

74. *Consuetudo, aut statutum, ut homicida, vel similis criminosus, puniatur solum pecunialiter, non valet.* — Huc pertinet omnis illa consuetudo, quæ nutrit peccatum, aut est scandalosa, ut dictum, num. 38. Vel quæ aliquem indebite gravat; quia hoc ipsum est peccare. Menochius, de *Arbitrar. judic.*, cas. 82, n. 17 et 18, post Socinum, jun. cons. 98, num. 41, lib. III. Et idem dicendum de statuto, vel consuetudine illa, per quam homicida, vel similis criminosus, punitur solum pecunialiter; cum de jure ad coercendam delinquentium audaciam, et conservandam securitatem innocentium, esset puniendus corporaliter: nam talis consuetudo inducit pronitatem peccandi, et homicidia perpetrandi, ob levitatem pœnæ, sicque non valet. Abbas, cap. ult., n. 3, et ibi Baldus, n. 5, h. t.; Hostiensis, et Doctorum, in cap. II de *Delictis puer.*, juncto textu, in can. *Facte sunt autem leges*, dist. 4.

75. *Consuetudo appellandi a vicario generali ad episcopum non valet; et cur?* — Quæritur VI. An valida sit consuetudo appellandi a vicario generali ad episcopum? Resp. I. Non valet consuetudo, etiam immemorialis, quod ab officiali, sive vicario generali episcopi, appelletur ad ipsum episcopum. Patet hoc ex c. *Non putamus*, 2, h. t., in 6, ubi ejusmodi consuetudo censetur irrationalis, sive rationi non consona. Et merito: quia talis consuetudo est contra substantiam actus, sive appellationis, utpote de cujus essentia est, quod sit ab inferiore iudice ad superiorem provocatio, l. I, § *Si quis*, ff. de *Appellat.* Atqui hoc non fieret, si a vicario generali ad episcopum appellari posset; quia potius « ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videretur, » ut loquitur textus, cit. cap.; ergo.

76. *Hoc procedit in vicario generali principali, non in foraneo.* — Resp. II. Nihilominus allata doctrina est intelligenda de vicario generali principali, qui personam episcopi repræsentat, sicque idem est auditorium utriusque; non de officialibus, seu vicariis foraneis, qui sunt subdelegati officialis principalis aut episcopi: quia ab his recte appellatur ad episcopum, sicut a subdelegato ad delegantem. Glossa, in casu ibidem. Layman, in d. c. *Non putamus*, n. 5, hoc intelligens de vicario episcopi constituto in certa parte diocesis, aut in casu speciali: prout etiam annotavit Maranta, in *Speculo aureo*, part. VI, de *Appellatione*, n. 370. nost. Glos-